

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Homo h
cum fonte primo

Pre omnibus malis homo est pessimum malum.

Quelibet bestia unum habet et proprie malum,
homo autem omnia.

Dyabolus enim ad iustum accedere non audet,
sed malus homo non timet, sed contempnit.

Crisostomus Mattheo X.

Nunc autem addidit, *Attendite vobis ab hominibus*: ostendere volens,
quia prae omnibus malis homo est pessimum malum.

Nam si bestiis comparare volueris eum, pejorem invenies eum.

Bestia enim, quamvis sit crudelis, tamen quia est irrationabilis,
declinabitur ab homine crudelitas ejus.

Homo autem crudelis cum sit, et rationabilis, non facile evadetur crudelitas ejus.

Si comparaveris hominem serpenti, pejorem invenies hominem:

quoniam serpens, etsi malitiam habet, tamen hominis timorem habet.

Ideo, si quem absconse potuerit, mordet: si autem non potuerit, fugit.

Homo autem et malitiam habet serpentis, et timorem non habet sicut serpens.

Ideo quamdiu non habet tempus, latet sicut serpens:

si autem invenerit, irruit sicut bestia.

Adhuc autem anguis, siquidem irritata fuerit, saevit,

si autem irritata non fuerit, in silentio transit.

Homo autem et non irritatus insanit,

et magis super illos insanit a quibus non fuerit irritatus.

Et ut breviter dicam, unaquaeque bestia unum habet et proprium malum;
homo autem omnia habet in se.

Denique homo malus pejor est quam ipse dyabolus.

Diabolus enim si videat justum, non est ausus ad eum accedere:

→ homo autem malus, quamvis hominem sanctum viderit,

← non solum illum non timet, sed adhuc magis contempnit.

Pseudo-Chrysostomus, *Opus imperfectum in Matthaicum*, 24 (PG 56, col.758).